



**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

2. Qui conferre beneficia possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](#)

acquiratur jus in re, c. Si tibi absentia i. 7. De præbendis in 6. sicut & per institutionem: per Electionem vero & Præsentationem acceptataam tantum jus ad rem. At per Postulationem nullum jus acquiritur postulato. sicut nec per Præsentationem ante acceptationem.

6. Potest autem acceptari beneficium non tantum ab eo, cui collatum est, sed & ab alio ejus nomine, puta procuratore, sive Ecclesiastico sive laico, qui in hoc nudum ministerium præstat; modò tamen speciale mandatum habeat ad acceptandam possessionem, licet speciatim beneficium aliquod in eo nominatum nou fuerit: alioqui generale mandatum etiam cum libera administratione non sufficit. Vide Covat. lib. 3. var. resol. cap. 10. n. 4. Quamquam beneficium absenti collatum, & ab alio, qui mandatum non habuit, ejus nomine acceptatum, censetur acquisitum à die acceptationis modò intra tempus ad acceptandum secura fuisse ratihabitio; Covat. ib. n. 5. Piassec. p. 2. c. 5. A. 3. n. 10. & seq.

### §. II. Qui conferre beneficia possint.

1. Conferre potest indistinctè beneficia omnia summus Pont.
2. Legatus à Latere in provincia sibi decreta.
3. Episcopus in sua diocesi.
4. Nisi sint beneficia reservata aut affecta.
5. Cathedralis Ecclesia præbendas confert simul cum Capitulo.
6. Similiter Ecclesiarum Collegiarum Pralatus & Capitulum
7. Capitulum. Sede vacante, quatenus conferre possit.
8. Item Vicarius Episcopi.
9. Et sequester.
10. Bona item fidei possessio.
11. Interdum jus conferendi alii competit, etiam laici.

**V**T collatio sit Canonica, fieri ab eo deber, qui conferendi habet potestatem. Itaque nunc videadum, quis beneficia vacantia conferre possit. Variè autem conferuntur, pro consuetudine alia arque alia in singulis Ecclesiis. Sed extra consuetudinem, quid de jure obtineat, videamus.

1. Et quidem in primis summus Ponit tanquam Vicarius Christi & D. Petri successor, cum summam & amplissimam potestatem habeat, quoad ea, quae in beneficiis juris sunt positivi, c. Licet De præbendis in 6. Clement. 1. p. lute pendente &c. omnia & qualiacumque beneficia, sive electiva sive collativa, sive juris sint patronatus, conferre potest, non modò in perpetuum seu ad vitam collatati, sed & ad tempus, c. Sigillato De re scriptis in 6. Unde beneficia omnia, respectu illius, dicuntur manuala.

Potest etiam juri patronorum, sive Ecclesiasticorum sive Laicorum, itemque juri Ordinarii derogare: cum Ordinariis cumulativè concurreat, cosdemque in mensibus eorum, etiam alternativis, prævenire, ita collatio prior à Pontifice facta præferatur collationi posteriori Ordinarii, nisi proviso à Papa obstat regula de verisimili notitia, Garzias De benef. p. 6. cap. 1. Potest in super beneficia non vacantia promittere & conferre. Ritus beneficia suæ collationi reservate, sive generaliter, sive specialiter, ut constat ex Extrav. Exempli loan. xxii. De præb. & Extravag. Ad reg. men. eod. tit. in communib. c. Licet 2. &c. Praes. 34. eod. in 6.

2. Secundò, Legatus à Latere potest conferre beneficia in provincia sibi decreta, tempore Legationis vacantia, & in eorum collatione concurrit cum Ordinario, c. 1. & 2. In officio Legati in 6. prout latius docuimus, lib. 1. eod. tit. §. 3.

3. Terciò beneficia conferre possunt ordinarii Collatores inferiores, qui suo jure ea continent, sive jus illud habeant à jure, seu Canone, sive à Papa, sive à consuetudine vel præscriptione. Et quidem de jure communi Episcopus est Collator ordinarius beneficiorum in sua diocesi, can. Omnes basilica & sig. vii. q. 7. c. Conquerente 16. sup. De officio iud. ord. 5. Ex frequentibus 3. h. 1. Piassec. 2. p. 5. art. 2. nu. 10.

4. Ceteris tamen casibus ea conferre nequit: veluti si sint reservata vel affecta, si juris patronatus, vel alia de causa spectent ad aliorum collationem.

5. Cæterum an collatio præbendarum in Ecclesiis Cathedralibus ad solam spectet Episcopum, variant Interpretes. Probabilior sententia est eorum: qui volunt spectare ad Episcopum.

scopum & Capitulum simul, per e. Gravem nimis  
29. Et. Cum Ecclesia 3. in fine sup. De elect. & ibi  
Gloss. quia cum Episcopus & Capitulum sint u-  
num corpus, & quum est, ut simul concurrant in  
collatione præbendarum: nisi consuetudine,  
privilegio, vel statuto, quæ servanda sunt aliud  
obireat, &c. Cum Ecclesia: prout passim obtinere  
videmus.

Non obstant jura, quibus alii nituntur in con-  
trarium: quia illa non sunt clara: & quædam  
loquuntur juxta consuetudinem ac speciale jus  
Ecclesiæ, de qua agebatur, & quidem narrativè,  
non dispositivè. Vide Garziam 5. p. cap. 1. n. 52.  
¶ seq.

Quando autem collatio ad Episcopum &  
Capitulum simul spectat, tunc Capitulum  
habet dimidiariam vocem, & Episcopus aliam  
dimidiariam, id est tantum valeat vox Episcopi,  
quarum vox totius Capituli, vel majoris parti-  
tis, e. Pastoratus, & ibi Gloss. sup. De scriptio.  
Adeo ut, si Episcopus unius contulerit & Cap-  
itulum alterius, neutra subsistat collatio, licet eti-  
am Canonici aliquot ad suffragium accesser-  
int Episcopi. Quamquam intra semestre, da-  
tum ad conferendum, si interim Papa non con-  
tulerit, possunt consentire in unum: si non con-  
senserint, devoluta collatio ad superiorum, e.  
Pastoratus inf. De concess. præbenda. Si vero præ-  
bendam hujusmodi, ad collationem utriusque  
spectantem, Episcopus solus contulerit, nec in-  
tra semestre Capitulum contradixerit, subsisterat  
collatio.

Potest autem Episcopus beneficia ad suam  
collationem spectantia, etiam dum moratur in  
aliena diœcesi, conferre; sicut & eorum resig-  
nationes admittere, quia utrumque voluntariae  
est jurisdictionis, e. Novit juncta Gloss. in V. sermi-  
ni sup. De officio Legati, Piasec. 2. p. cap. 5. art. 3.  
n. 87.

6. Quartò, licet nonnulli velint collationem  
in provisionem Canonicearum & dignitatum  
in Ecclesiæ Collegiatis spectare ad Episcopum,  
juxta d. can. Omnes basilica: verius tamen est  
præsentationem seu electionem ad ejusmodi  
beneficia spectare simul ad Prælatum Ecclesiæ,  
veluti Præpositum, & Capitulum, institu-  
tionem vero seu confirmationem ad Episco-  
pum, cap. Ex frequentibus 3. hoc sit. Nisi Ecclesiæ  
Collegiata caret Prælato, & subjec-  
ta.

tur immediatè summo Pontifici: quo casu  
spectabat electio ad solum Capitulum. Et haec  
ita de iure communis: nam ex consuetudine, ut  
dixi, quæ alia atque alia est in singulis ferè Ecclesiæ,  
vel ex privilegio aut præscriptione ali-  
ter obtinuit, ut scilicet provisio vel ad solum  
spectet Capitulum, vel ad solum Episcopum,  
vel ad Prælatum Ecclesiæ, vel ad hebdoma-  
darium seu turnarium; ut vocant, vel ad Ca-  
pitulum & Episcopum alternatim. Aliorum  
vero beneficiorū in Ecclesiæ inferioribus col-  
latione ad solum Episcopum de iure communi  
spectat, etiam sine consensu Capituli, si sint  
minora; si majora, non nisi de consilio sui Ca-  
pituli, juxta cap. Novit inf. De his que fiunt à Pra-  
lato sine cons. Capitul. Videatur plenius de his  
Garzias. 5. p. cap. 4.

7. Quinto, Capitulum, Sede vacante, vel sus-  
penso Episcopo, potest conferre ea beneficia,  
quæ sunt necessariae collationis, non etiam ea,  
quæ ad liberam collationem spectant Episcopi,  
ut postea dicemus latius. Beneficia tamen, quæ  
sunt simultaneæ collationis, id est, quæ spectant  
simil ad collationem Episcopi & Capituli, libe-  
rè conferre potest, e. unico No se de vacante Et. in  
6. Piasec. d. c. 5. art. 2. n. 42.

8. Sexto, Vicarius Episcopi potest conferre  
beneficia necessariae collationis, non etiam ea,  
quæ sunt liberae collationis, absque speciali  
commissione & licentia Episcopi, e. fin. juncta  
Gloss. in V. commiss. De officio Vicarij in 6. Unde  
confirmat electos, instituit præsentatos: imo  
eriam unit ex præsentatis gratificari potest, Pias.  
d. loco n. 37. ¶ seqg.

9. Septimo, Sequester conferre beneficium  
potest, quando collationis est capax: nam lai-  
cus circa privilegium spiritualia tractare prohi-  
bitur, e. 2. sup. De iudicij. Vide Garziam d. p. 5.  
cap. 6.

10. Octavo, Bonæ fidei possessori; quia collatio-  
numeratur inter fructus, qui ad bonæ fidei pos-  
sessorum spectant. Adeoque provisus a pos-  
sessorum bonæ fidei præfertur proviso à proprie-  
tario, cap. Quarrelam sup. De elect. Videatur Gar-  
zias d. p. 5. Gonzales ad Reg. VIII. Cancell. Gloss.  
45. §. 2.

11. Quandoque etiam Abbatibus, Priori-  
bus, seu aliis inferioribus Prælatis ex singu-  
lari iure seu privilegio competit ius beneficia  
confe-

Mm

conferendi, Clement. unica de supplenda neglig.  
Pralat. imò etiam laicis ac mulierii ex privilegio  
& iudicio Apostolico, Boetius Decis. 32. n. 10.  
Cassad. Decis. 1. iii. de jure patronatus.

At verò Imperator, Rex Franciæ, vel alii  
Principes habeant jus conferendi beneficia in  
suis regnis, vide Boerium Decis 32. & Rebuf.  
Tract de Regia ad Pralat nominatione in V. Cathedrilibus.

## §. III.

Quibus conferri beneficia debeant?

1. Conferri debent Clericis idoneis.
2. Praferendus doctior minus docto
3. Et quandoque minus Doctus doctori.
4. Nemo instituendus, nisi examinatus & idoneus repertus fuerit.
5. 6. Ni si Episcopus aliquem nominaverit: & de hoc quod sit.
7. Instituio de jure ad Episcopum spectat.
8. De consuetudine ad Archidiaconom.
9. Semlexaminatus, iterum ab eodem velsue cessore non examinandus.

**C**onfetti autem beneficia debent Clericis dum taxat, iisque idoneis, qui Deo & Ecclesiis volunt & valcent gratum impendere famulatum, & Grave 20. sup. De præb. sive nobiles sint, sive ignobiles: etiam si in valuis sit consuetudo in Ecclesia aliqua, ut quædam beneficia tantum nobilibus conferantur, quia non generis, sed virtutum nobilitas, viræque honestas Deo gratos facit. *e. pauli. eodem. iii.* Hinc rescriptum summus Pont. pueris non posse beneficia Ecclesiastica conferri, id est minoribus xvii. annis, quia tales ad deserviendum in Ecclesia non sunt idonei, & Super inordinata 35. hoc tit. Hinc etiam Conc Trid. Sess 22. c. 4. in fine generatim statuit, ut non alius fiat collatio seu provisio, quam qui jam æratem & cæteras habilitates integrè habent dignificantur, aliterque facta sit irrita.

2. Praferendus propterea est doctior minus docto, cæteris paribus, Covaruvis in c. Peccatum p. 2. §. 7. n. 4. De R. I. in 6. & Pialec. in Praxi 2. p. c. 5. art. 3. n. 10.

3. Quamvis dignus & minus doctus, enjus noti & probati sint mores, praferri possit digniori & doctiori, cuius vita ignoratur, ex declaratione Cardd. quam ibidem refert Pialecias. Item idoneum in eadem civitate, vel de gremio Ecclesiæ, vel si de genere fuerit

fundatoris, externo magis idoneo præsendum docet ibidem Pialecias post Lambentin de jure patronatus lib. 1. p. 3. art. 6. & Zecchum de benefic. c. 12. n. 26.

4. Statuit etiam Concil. Trident. Sess. 7. cap. 13, ne præsentati seu electi vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis; ad quævis Ecclesiastica beneficia instituantur, nec confirmentur aut admittantur, etiam virtute cuiusvis privilegii seu consuetudinis, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati & idonei reperti, neve illius appellacionis remedio se tueri possit, quo minus exame subire tenetur. Præsentatis, electis seu nominatis ab Universitatibus seu Collegiis Generalium Studiorum exceptis, de quibus Rebul. in Praxi Benefic. de re scripto in forma pauperum.

5. Si tamen nominatio ad Episcopum spectet, & in instituto ad aliquem inferiorum, fuerit sat, si Episcopus Clericum nominet & offeat, secundum Abbatem in c. Significasti 18. inf. De jure patronatus: quia præsentando approbat, ejusque est approbare Clericos suæ diœcesis, & ult. sup. De Clericis peregrinan.

6. Verum si nominatio spectet ad unum Episcopum, & in instituto ad alium alterius diœcesis, in qua situm est beneficium, an etiam sola sufficiet nominatio & oblatio, ut instituatur? Sufficere quidam putant, quia verum sit, eum approbatum esse ab Ordinario Azorios L. 1. Institut. Moral. c. 22. q. ult. Attamen venis videtur ex Concil. Trid. examinandum & approbadum ab Ordinario loci, in quo situm est beneficium: quia non statim ex eo, quod quis sit idoneus in uno loco, inferre licet & quæ idoneum fore in alio: ipsumque Concil. mandat præsentatum & electum à Nuntio Apostolico, qui & Ordinarius est intra limites sue legationis, examinari ab Ordinario loci, quippe cuiusdam exploratum sit, quam idoneis in sua diœcesis opus habeat Clericis & ministris. Zyp h.s.s.

7. Cum etiam præsentatus sive electus alium pro obtinenda institutione adire non posse, quam Episcopum, loci ordinarium, qui super hoc habet fundatam intentionem in jure: & quidem sub pena nullitatis, nisi ex privilegio vel aliter instituto pertineat ad alium Prælatum, inferiorum Episcopo, Concil. Trident. Sess. 4. c. 13. De reformat. Quo tamen